

dum esse, ad unum aliquod movens primum, à Arist. l. 7.
 quo, tanquam principio & causâ summa, cete- Φυσ. α. 2. 9.
 ra omnia moveantur: in quo argumento tractan-
 do ipse etiam versatur Aristoteles: copiosius au-
 tem illud explicatur à D. Augustino lib. de fi-
 de ad Petrum Diaconum cap. 4. & 5. Item de
 consensu Evangelistarum, cap. 21.

33. Damascenus certè adversus eos, qui S. Damasc. lib.
 literarum articulis fidem nondum adhibent, 1. Orth.
 his rationibus, pro tuenda unitate Essentiæ di- cap. 5.
 vine pugnandum esse statuit.

I. Deus est τέλει & καὶ ἀνελλιπής summè
 perfectus ac nihilo indigens. Ergo unus est.

II. Si plures naturâ sint Dii, inter eos diffe-
 rentia aliqua constituenda fuerit: Vbi enim
 nulla differentia, ibi nulla pluralitas, sed iden-
 titas & unitas: Quod si verò inter eos erit diffe-
 rentia, non erit eis omnimoda perfectio: sed u-
 nus altero minor & impotentior: Qui certè cum
 perfectus non sit, ne Deus quidem dici poterit.
 Ergò ad unum rursus erit perveniendum.

III. Si plures essent, neuter esset ἀπερίγρα-
 τος incircumscriptus, multò minus ubique.
 Nam unus habebit suum numen atque impe-
 rium, ab alterius numine & imperio seiun-
 ctum; ne sibi invicem mutuò sint impedimen-
 to, Quod si verò quis coniunctis viribus &
 Consi-